

DISCUSSIONUM PERIPATETICARUM  
TOMI III LIBER IV

Platonicae dialectices cum Aristotelica  
collatio ac discordia

5

Sumpsisse Aristotelem universae suae philosophiae summa omnia capita a priscis philosophis 8. antecedentis tomi libris late luculenterque, ut nobis persuademus, demonstratum est. Inter quae multa a Platone praeceptore exscripsisse ostendimus praecedentibus duobus huiusce tomi libris, quam falso in eos, a quibus dogmata non pauca sumpserat, invectus sit, palam factum est. Nunc maius nobis opus, maior moles pro Platone superest ac maior nobis pro eo labor exantlandus est.

Quem venerabilem virum discipulus iste multo saepius, acrius, acerbius quam antiquiorum quemquam vexavit, exagitavit sycophantamque in eum egit, tantum potuit in eo Xenocratis ab illo sibi in schola praelati indignatio, ut non vereretur ea in doctorem suum scriptis mandare, quae statim lecta et cum illius scriptis collata manifestae falsitatis eum coarguere possent. Quod ne se vivo fieret vitans, libros fere omnes suppressos tenuit, quia viverent multi sancti illius senis et auditores et amatores, qui possent sycophantias illas et detegere et etiam convincere. Post obitum eius libri centum et amplius annos latuere, quo spatio temporis et discipuli illi obierant et successores eorum alia dogmata induxerunt. Sed postquam libri a Tyrannione Grammatico, ab Andronico Rhodio in lucem sunt redditi, inter tot celeberrimos, tot admirabiles Platonicos, qui natalitia Platonis tum sancte celebrarent, dogmata illius explanarent, docerent, eveherent, in admiratione haberent, non parva est admiratione prosequendum neminem, quod sciamus, extitisse, qui eius tutelam contra Aristotelicas calumnias susciperet. Non defuerunt quidem Plotinus,

30